

timonio, ceteris longè præstans animi robore, belli scientia, clientelarum multitudine, & glorioſi claritudine cognominis; quippe Magni Imperatoris titulum publico suffragio confecutus. Hunc obtinebat locum Membertous inter Souriquios, qui Acadiam, circa ostia Laurentiani amnis, incolunt. Ejus filium difficii ægritudine conflictatum P. Biardus inviſit. Miratur nihil triste in tugurio; non planctum, non flebiles nænias: imo epulum, choream, & duos trefve canes alligatos. Quærit quid hæc ſibi velint. Respondent juvenem brevi eſſe moriturum, amicos vocatos: illis epulum parari: funebrem choream poſtea ducendam: canes, quos videbat, interficiendos, placandis mortui Manibus. Exclamavit Pater nequaquam iſta Christianis hominibus convenire, & impias confuetudines graviter increpuit. Senior, adolescentis parens, ignorantiam excufavit; ceterum ſe ac filium in iſius eſſe potestate; doceret, juberet, imperata facturos. Sacerdos vetuit ne canes interficerentur: saltatores importunos amandavit: epuli partem, quæ ſuperftitionis habere nihil videbatur, permifit: in primis autem, ne deponeretur penitus ægroti cura prohibuit; imo fuasit ut ad Gallorum domicilia, quamvis longè diſjuncta, deportaretur; ſperare ſe, favente Deo, futurum ut convalesceret. Benignè auditus eſt à Membertoo: delatus æger ad nos fuit, ridentibus, ac bolum tantum tam ſubito è fauicibus eruptum ſibi dolentibus beneficis, & circulatoribus, quorum ſententiâ conclamatus adolescentis vivere poſſe negabatur. Ac-